

## III.

*Caesar overtakes a part of the Helvetii and defeats them (Caes., Bell. Gall., I., 12).*

Flumen est Arar,<sup>1</sup> quod per fines Aeduorum et Sequāncrum in Rhodānum influit, incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem<sup>2</sup> fluat, iudicari non possit. Id Helvetii ratibus ac lintribus iunctis transibant. Ubi per exploratores Caesar certior factus est, tres iam copiarum partes Helvetios id flumen transduxisse, quartam vero partem citra flumen Ararim reliquam esse, de<sup>3</sup> tertia vigilia cum legionibus tribus e castris profectus ad eam partem pervenit, quae nondum flumen transierat. Eos impeditos et inopinantes<sup>4</sup> aggressus magnam eorum partem concidit<sup>5</sup>; reliqui fugae sese mandavērunt atque in proximas silvas abdidērunt.

<sup>1</sup>the Saône. <sup>2</sup>direction. <sup>3</sup>in the course of. <sup>4</sup>off their guard. <sup>5</sup>cut to pieces.

## IV.

*Caesar meets a reverse and follows the Helvetii cautiously (Caes., Bell. Gall., I., 15).*

Postero die castra ex eo loco movent. Idem facit Caesar equitatumque omnem ad numerum quatuor millium, quem ex omni Provincia et Aeduis atque eorum sociis coactum<sup>1</sup> habebat, praemittit, qui videant, quas in partes hostes iter faciant. Qui cupidius<sup>2</sup> novissimum agmen<sup>3</sup> insecuri alieno<sup>4</sup> loco cum equitatu Helvetiorum praelium committunt; et pauci de nostris cadunt. Quo proelio sublati<sup>5</sup> Helvetii, quod quingentis equitibus tantam multitudinem equitum propulerant, audacius subsistere (*stand*) nonnumquam et novissimo agmine nostros lacessere coeperunt. Caesar suos a proelio continebat, ac satis habebat in praesentia hostem rapinis, pabulationibus populationibusque prohibere. Ita dies circiter quindecim iter fecerunt, ūti<sup>6</sup> inter novissimum hostium agmen et nostrum primum non amplius quinis aut senis millibus passuum interesset.

<sup>1</sup>collected. <sup>2</sup>too eagerly. <sup>3</sup>the rear. <sup>4</sup>unfavorable. <sup>5</sup>relaxed: perf. part. pass. of tollo. <sup>6</sup>uti=ut.

## V.

*Caesar advances against the enemy (Caes., Bell. Gall., I., 21).*

Eodem die ab exploratoribus certior factus hostes sub monte consedisse millia passuum ab ipsius castris octo, qualis esset natura